



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Electos, ut pretiosos lapides, tusionibus atque pressuris variè conformari & expoliri oportere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

§. I.

Electos, ut pretiosos lapides, tuncsonibus atq; pressuris varie conformari & expoliri oportere.

EX Scriptura divina & Sanctorum Patrum consensu com-
pertum est: homines DEO acceptos, vivis & electis la-
pidibus comparari, qui in hac vita tuncsonibus afflictionum
& pressuris calamitatum cædendi, quadrandi & expoliendi
sint, ut ex illis denique cœlestis Jerusolymæ æterna ædifica-
tio consurgat. Omnis alijs audiatur duntaxat Martyr Ignatius,
ita ad Ephesios scribens: *JESUS Christus fundavit vos* Epist. ad E-
supra petram, ceu lapides electos, coaptatos in divinum Patris phes-
adificium, sublato in altum per Christum pro nobis crucifixum,
spiritu sancto utentes pro perpendiculari, fide subvektos, charitate
elevatos à terra ad cælum. Hæc S. Ignatius.

Illud nunc consequenter adijcimus: si quos fortè
Dæus peculiariter sibi dilectos, ad insignem aliquem & ex-
cellentem gloriæ gradum destinat; hos velut lapillos pre-
tiosos divino suo diademate inserendos, vexationum cruci-
atumve scalpro, & multiplici tanquam affricu attrituvè,
studiosius scalpere & expolire consuesse.

S. Gregorius puellam quandam sanctam memorat Ro-
mulam nomine, quæ sub idem tempus in Urbe sub Sancti-
monialis habitu, juxta Ecclesiam B. MARIÆ cum alijs dua-
bus morabatur: & ut idem ait, morum quidem divitijs ple-
nam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Ipsa
autem Romula, cum ad reliqua vitæ incommoda, molesta
paralysis accessisset, annis pluribus in lectulo jacuit; pati-
entia merito DEO in primis chara (ut varijs cœlestibus signis
sub ejus mortem apparuit) mortalibus autem, aut ignota,
aut sanè despecta. *Sed lacebat* (inquit S. Gregorius) *in ster-*
quilinio margarita DEI. Sterquilinium hanc ipsam corrupti-
bilitatem corporis appello; sterquilinium abjectionem pauper-
tatis

Cccc

tatis

tatis nomino. Assumpta est ergo margarita, qua jacuerat in sterquilino, & posita in caelestis Regis ornamento. Jam inter supernos ciues emicat: jam inter ignitos illos lapides aeterni diadematis coruscet. Sic Magnus Gregorius, & ante illum S. Paulinus in ea quam supra laudavi ad S. Victricium epistola: ubi eum martyrem vivum appellans, rogat, ut vel sui esse memor in gloria, quando eum (ut ipse loquitur) in pretiosam diademati suo margaritam Rex aeternus aprabit.

Ex quibus id apparet quod dicebamus: quos Dominus in mundo grandium malorum patientiam exerceat, hos esse in caelo instar margaritarum aut ardentium carbunculorum, in aeterni Regis paludamento aut diademate collucentium: eoque proinde mirum non esse, si eos crebris scalpiorum ictibus exactius formari ac perpoliri necesse sit, quo puriores ac splendidiore, eoque cui destinantur loco, digni, inventantur.

Atque hic, si placet, ad exemplar nostrum, Christum crucifixum aspiciamus: quem utique oportuit, & tantum crucifixum aspiciamus: quem utique oportuit, & tantum quam lapidem angularem pretiosum, & primum fundamentum civitatis sanctae Jerusalem, sive malleorum ictibus tundi & quadrari, sive flagellorum affricu plurimo laevigari; & tanquam primae notae gemmam, solerti atque exquisito tormentorum attritu perpoliri: attritus enim est propter scelera nostra. Nam quod ipse Christus excellens quadam & nobilissima margarita sit, ex Ambrosio dicimus: *Margarita enim (inquit) Christus est Dominus, quam negotiator ille dicitur in Evangelio, venditis omnibus rebus suis emere festinavit, & maluit omnes, quas habebat, saeculi gemmas amittere, tantum ut unam Christi emeret margaritam.*

1. Pet. 2.

Isai. 53.

In festo S. Lucia.

§. 2.

Demonstremus nunc (quod erat alterum) ipsas etiam afflictiones & incommoda mortalis vitae, ex divino iudicio Sanctorumque sententia, non aliter quam ut caeli gemmas unio.